

PR AEFATIO.

scere non potui, quod excerpta ex iisdem suppeditata confirmabunt. Ne quid dicam de iis, quae recentiori & recentissima aetate ad GERCKENIOS, Patrem & Filium, a IO. CHRISTIAN. BYRGMANNO, IO. HERM. ab ELSWICH, ADOLPH. WILH. von GOHREN, ZACH. GRAPIO; CHRISTIAN. KORTHOLTO, nepote, IAC. HIERON. LOCHNERO, IOS. HENR. OPITIO, IO. EHRENF. PFEIFFERO, CHRISTIAN. REINECCIO, IO. GEORG. REINESIO, GVSTAV. SCHROEDTERO, IO. TRIBBECHOVIO, & multis aliis, partim defunctis, partim hodieque superstitionibus, magna copia sunt exaratae. In his Epistolis Alumni Schabbeliani modo gratias agunt, modo rationem studiorum reddunt, modo prorogationem beneficii efflagitant, modo res notabiles, quae vel in variis Germaniae Academiis commorantibus, vel peregrinantibus, in illustribus Belgii, Angliae, Galliae, Hispaniae, locis, iisdem innotuerunt, significant. Nam quod non mera Schabbeliana, quae e datis ad vtrumque GLOXINIVM, Patrem & Filium, in Notis Orationi subiectis exhibui, sed alia etiam notatu digna complectantur, *Electa ex Epistolis Stipendiatorum Schabbelianorum*, quae speciminis loco ad calcem suppeditavi, comprobabunt. Hoc specimen reddere potuissem multo copiosius, si Epistolas recentiori tempore, & hoc ipso nostro, consignatas attingere etiam voluissem, quod vero & nimia prolixitas & causae aliae non permiserunt. Neque enim licuit ex antiquioribus cuncta notabilia in medium proferre. Quare Lector paucis hac vice sit contentus. De subiuncto *Stipendiatorum Schabbelianorum Indice* alphabetico observatum velim, quod pauci illi, quibus asteriscum praefixi, si non ad percipientes, ad ambientes tamen certo sint referendi, quare eos plane silere nolui. Horum, ambientium scilicet,

cet,